



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MATRITENSIS*** NONNULLIS DIVISIS
TERRITORIIS MATRITENSIS

ARCHIDIOECESIS, PROVINCIA ECCLESIASTICA MATRITENSIS

CONSTITUITUR ET MATRITENSIS SEDES AD DIGNITATEM

ECCLESIAE METROPOLITANAE EVEHITUR Cum Venerabilis Frater Noster Angelus S. R. E. Cardinalis

Suquía Goicoechea, Archiepiscopus Matritensis, audita Conferentia Episcoporum Hispanica, ad maius spiritale bonum

persequendum Christifidelium, in ecclesiastica sua circumscriptione degentium, postulaverit ut divisis quibusdam

Matritensis Archidioecesis territoriis nova constitueretur Ecclesiastica Provincia, Nos pro certo habentes hoc in animarum

utilitatem esse cessurum, preces exaudire statuimus. Quapropter, sententiis auditis probatisque Venerabilis Fratris Marii

Tagliaferri, Archiepiscopi titulo Formiano et in Hispanica Didone Apostolici Nuntii, Congregationis pro Episcopis et

Secretariae Status Sectionis de Rationibus cum Civitatibus, haec quae sequuntur ex plenitudine Apostolicae Nostrae

potestatis decernimus. Matritensem Sedem, ad hoc usque tempus Sanctae Sedi immediate subiectam, ad dignitatem

evehimus Metropolitanae Ecclesiae, iuribus privilegiisque donatae ceterarum Metropolitanarum Sedium propriis. Novam

constitutam Ecclesiasticam Provinciam Matritensem constare volumus ex Ecclesia cognomini atque noviter conditis

dioecesibus Complutensi et Xetafensi, ablato titulo Complutensi in praesens Archidioecesi Matritensi adnexo. Insuper

Matritensem Archiepiscopum pro tempore gradu Metropolitae insignimus iisdemque instruimus iuribus et privilegiis et

oneribus obligationibusque astringimus, quibus ceteri Metropolitae instructi sunt et astricti, ad normam sacrorum

canonum. Matritensem, qui nunc est, Archiepiscopum, ad gradum Metropolitae promovemus, ceteris orbis terrarum

Metropolitae in iuribus, privilegiis, oneribus et obligationibus aequatum. Haec perficienda mandamus Venerabili Fratri,

quem supra demonstravimus, Mario Tagliaferri, vel, eo absente, negotiorum Sanctae Sedis in Hispania curatori,

necessarias et opportunas facultates iisdem concedentes etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet

virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis primo quoque tempore

mittendi actus perfectae executionis sincerum exemplar. Quae vero per has Litteras decrevimus, nunc et in posterum

rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo

tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.

Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN

Congr. pro Episcopis Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 12, pp. 1009-1010 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana